

2001-02-16 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Sancti Thomae Apostoli Chicagiensis’

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

**SANCTI THOMAE APOSTOLI
CHICAGIENSIS SYRORUM-MALABARENSIUM***

**IN FOEDERATIS CIVITATIBUS AMERICAE SEPTEMTRIONALIS
NOVA EPARCHIA CONDITUR NOMINE SANCTI THOMAE APOSTOLI CHICAGIENSIS SYRORUM-
MALABARENSIUM**

Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, cuius est praesertim sub lumine doctrinae Concilii Oecumenici Vaticani II consulere quoque communitatibus Christifidelium Orientalium per orbem terrarum versantium, sollicita de spirituali salute atque maiore unitate regiminis fidelium Ecclesiae Syrorum-Malabarensium, qui decursu temporum varias ob vicissitudines, propriis regionibus relictis, se contulerunt ad hospitales terras Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis, praeahaho consilio Venerabilis Praesulis Varkey Vithayathil, C.SS.R., Archiepiscopi Maioris Ernakulamensis-Angamaliensis Syrorum-Malabarensium atque omnibus mature perpensis, censuit ut pro memoratis fidelibus nova Eparchia constitueretur. Nos igitur qui ut beati Petri Successores diligentissimam curam gerimus de universo grege Dominico, ratam habentes talem sententiam a Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus in Audientia hodie ad Nos relatam, summa Apostolica potestate condimus Eparchiam *Sancti Thomae Apostoli Chicagiensis Syrorum-Malabarensium* pro fidelibus eiusdem ritus in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis commorantibus, cunctis tributis propriis iuribus atque obligationibus. Quae quidem ceteraque secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium temperentur. Insuper de eodem absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem, quam diximus, mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo sexto mensis Februarii, anno Domini bis millesimo primo,
Pontificatus Nostri vicesimo tertio.*

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IGNATIUS MOUSSA card. DAOUD
Congr. pro Eccl. Orientalibus Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 7, pp. 423-424